



Vilhelmus filius fuit Ioannis ducis Cluensis, atq; Mariæ ducissæ Iuliacensis. Hunc parētes Conrado Heresbachio uiro doctissimo educandū tradiderunt. Itaq; Vuilhelmus sub eius disciplina liberaliter institutus, & bonas literas didicit, atq; uirtutes cum rerum cognitione paulatim imbibit, ut magnam præclari futuri principis spem adolescēs adhuc prudentibus uiris præbuerit. Cum autem pater uita fungeretur, eidem anno 1539 in regionū administratione successit. Putabat etiā Vuilhelmus, se ius quoddam ad Geldriæ ducatum habere. Itaq; per legatos scripto suum ius Protestantibus declarauit, & ab iisdem petijt, ut pro se apud Cæsarem intercederent. Postea quoq; transactionis causa ad Cæsarem in Hispaniam peruenit, atq; re infecta discessit. Itaq; domum reuersus cum Francisco Gallie rege in itinere sua consilia communicare, atque eius amicitiam expetere cœpit. Gallus etiā hunc principē ob uirtutes amare, atq; ad suas partes pellicere stauit. Erat Ioanna 11 annorum puella, ex Margaritha regina Nauaræ & Galli sorore prognata: eam magna dote ornatam Frānciscus Cluensi uxorē promisit, atq; spe plenum à se dimittit, anno 1540. Sequenti uerò anno in Galliā redijt, & 6 Maij ad regem Ambosæ, ad Ligerim flumē in Turonibus oppidū, peruenit. ibi de coniugio agi cœptum. re deinde perfecta Vuilhelmus domū redijt. Mater uerò spōsam apud se retinuit, dum tempestiua uiro esset. Hæc postea, dum Cluensis dux cum Cæsare in gratiam redijisset, Vendomensis principi nupsit.